Quodlibetaria Quaestio agitanda In Scholis Medicorum

Die 18a Novembris.

M. Andrea Beauvoys Praeside.

An aequalis quaedam Intemperies In Humano Corpore esse possit?

Intemperies εὐκρασίᾳ opposita latissime fusa. Simplex vel composita, totius aut partis, nec solum corporis, sed animi esse potest, cuius singulas differentias, non aliter a se invicem, quam una eademque saepe a seipsa propria qualitate, subiecto, causis, et aliis multis cautionibus distinguuntur, sic ab iisdem subiecti facultates destruuntur.

Cuiusuis Intemperiei causae multae, sed una proxima, ut Cacochymia, obstructio, Inanitio, Plethora aut aliae. Proximae quamquam diligenter est occurrendum, quando ea remanente Intemperies, seu morbus nunquam tollitur, causa tamen alia Interna, aut Externa nullo Medico rationali negligenda.

Intemperies simplex omnium levissima a causis externis ad compositam dispositio est, quae ex simplicibus nata morbo affinis existit: ut igitur Morbus sic et Intemperies multiplex varia victus ratione diversisque remediis curari debet.

Intemperies omnis modo a motu Naturae, modo a motu praeter Naturam, modo ab utroque pendens, sana aut morbosa est; unde sic ut illa per similia, haec per contraria pellenda sit, morbi, virium, loci et temporis ratione observata.

Intemperies subiectum, modo eodem modo diverso afficiens quandoque torquens ut nullum sui sensum relinquens veluti in Hectica absoluta continuo aequalis perseverans, sicut in putridis omnibus inaequalis sensibilisque, utraque tamen ut saepe eidem subiecto existit, sic utramque successu temporis fieri aequalem absurdum non est.

Aequalis Igitur Intemperies In humano Corpore esse potest.

Proponebat Lutetiae M. Remondus Du Mas Mimatensis A. M.D.L.I.